

Universitätsbibliothek Paderborn

Mater Amoris Et Doloris

Ginther, Anton

Augustæe Vindelicorum, 1711

VD18 15312348

Consideratio XVI. Quomodo B. Virgo & Mater Dolorosa in Circumcisione Christi dulcissimi Filii se habuerit? Emblema. Vitis cultro adunco usque ad lacrymas sciffa, cum epigrapha: Ut gaudeas mero.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47286](#)

CONSIDERATIO XVI.

Quomodo B. Virgo Dolorosa se in Circumcisione
Christi dulcissimi Filij sui habuerit?



*Postquam consummati sunt dies octo, ut circum-
cidetur Puer, vocatum est nomen ejus J E S U S,*

Luc. 2. 21.

I. **U**id hoc est ô beatissima Virgo? verè Mater amoris & doloris, quod innocentissimum Filium tuum offeras ad circumcisionem? An ergo Legislator proprijs sub-
jacet Legibus? Nunquid partus sequitur ventrem? Si tu ô Domina totius universi ab omni originali &
actuali peccati labe semper immunis exiisti, quantò magis Filius
Mater Dolorosa. R tuus,

tuus, fons omnis Sanctitatis, & Sanctus Sanctorum? Ad quid ergo circumciditur, & inuritur stigmate peccatoris, qui peccatum non fecit, nec facere poterat? O crudelis, o barbare, o immicetus culter! quomodo aulus es vulnerare innocentissimum agnillum? Quodnam tibi jus in Filium Virginis & DEI?

S. Th. 3. p. q.
37. a. z.

Adverte anima Christiana, licet benignissimus orbis Reparator Christus nullo modo circumcisionis mandato fuerit subjectus, voluit tamen à SS. Matre sua & à Patre Nutrio, S. Josepho ad hanc circumcisionem præsentari: Primo, inquit Doctor A. galicus, ut ostendat veritatem carnis humane contra Manicheum, qui dixit, eum habuisse corpus phantasticum. Secundo, ut approbaret circumcisionem, quam olim Deus instituerat. Tertio, ut comprobaret, se esse de genere Abrabæ, qui circumcisionis mandatum acceperat in signum fidei, quam de ipso habuerat. Quartò, ut Iudeis excusationem tolleret, ne eum recipierent, si esset incircumcisus. Quinto, ut obediendi virtutem nobis suo exemplo commendaret, nude & in octava die circumcisus est, sicut in Lege erat præceptum. Sexto, ut quia in similitudinem carnis peccati ad venerat, remedium, quo caro peccati consueverat mundari, non resperret. Septimo, ut Legis onus in se sustinens alios à Legis onere liberaret, secundum illud ad Gal. 4. Misit Deus Filium suum, factum sub Lege, ut eos, qui sub Lege erant, redimeret. Tertius adhuc aliam addit rationem, voluisse Filium DEI & MARIAE circumcidere, ut diabolum falleret, quemadmodum olim Jacob induit vestes Etau.

Gen. 27. 15. omnes fecellit, qui Jacob pulcherrimus in hoc Christi typus fuit, formam servi & peccatoris induentis. Et denique circumcidi voluit, ut arrham mundo & Ecclesiae suæ daret subsecuturæ paulo post redemptionis per profusionem in cruce totius sanguinis, &c. In hunc finem pro corpore Emblematis nostri vitæ adumbriati curavimus, quam Genius cultro usque ad profusionem lacrymarum fecerat cum inscripta Epigraphe: Vulnerat, & medetur. Vel potius:

Ut mero gaudeas.

Joan. 15. 1.
S. Bernh. in
Tract. de
passione.

Vitis Christus est: Ego sum vitis vera. Vitis autem, prout eleganter observat Mellifluus Bernhardus, non seminari, sed interra benè culta plantari solet; ita Christus non seminatus, sed interra virginea plantatus est. Vitis circumfoditur, ad palum vinculis alligatur, & tempore vernali usque ad lacrymas scinditur, ut optatos ferat fructus, unde rursus Lemma: In lacrymis feracior: Ita quoque

quoque Christus in passione circumfossus : *Foderunt manus meas & pedes meos, &c.* ad palum crucis funibus, imò clavis ferreis alligatus, & mox die octavo Nativitatis suæ in præsentia Matris usque ad lacrymas, plūs dico, usque ad sanguinem petrino cultro circumcisus est, *ut tu anime mi, mero illius gandeas,* hoc est, fructum lacrymarum & sanguinis ejus, cuius unica stilla totum mundum redimere poterat, &c.

2. Æternā memoriā dignum est, quod refertur de S. Canuto *Ex vita. 19.*
Daniæ Rege & Martyre gloriosissimo, qui, ubi regale suum diadema ad pedes Christi Crucifixi abjecit, humiliter sese illi subjicens, *Jan. Item P. Benig.* qui Rex Regum, & Dominus Dominantium est, prævidens nunc *Kybl. de Ad. mirand.* ex tumukuante populo mortem sibi propter justitiam irminere, ad templum S. Albani M. tanquam ad locum certaminis Othonie configit, ubi SS. Sacramentis præmunitus, & DEO agonem suum commendans, flexis genibus ante altare pro inimicis orans, telis & lanceâ confossus est, cuius glorioſissimi Regis ac Martyris sanctitatem DEUS dupli miraculo illustravit, siquidem in eo loco, ubi occisus est, sine mora fons, sanguine Martyris purpuratus, profiliit; & cum sacrum corpus ad imperium Reginæ abinde asportaretur, & portatores cum hoc sacro pondere in foro quiescerent, mox alter fons aquæ prorupit, uterque hominum infirmitatibus saluber, ac medicus.

Et nunquid anime mi, in circumcisione Domini nostri JESU Christi duplex fons & sanguinis & aquæ mundo scaturire cœpit? Fontem sanguineum referavit saxeus ille culter, dum innocentissimam tenelli Infantis carnem sevire cœpit, qui dolor planè fuit acerbus, dum persæpè alij infantes ex tali cruciagru moriebantur, in Christo tamen multò acerbiorem oportet fuisse dolorem ob ætatis teneritudinem, & delicatissimum temperamentum, ac perfectam, quâ prædictus erat, cognitionem, &c. quod tamen peccatoris & servi stigma patientissimè tulit, ut tuas peccatorum maculas jam tunc à prima vitæ ætate elueret. O bone JESU! quām citò incepisti pro delictis meis pati, & poenitentiam agere? Unde rectè Isaias tibi ex Virgine & Prophetissa nascenti, hoc nomen indidit: *Voca nomen Isa. 8. 3.* ejus: *Accelera spolia detrahere: Festina prædari.* Supra quod doctissimus Baëza: Optimè, inquit, noverat Isaias nascentis Christi curam, *Baëza l. 1.* quando illum vocavit: *Accelera; Festina, nam vehementer festinabat;* *4. §. 1.* sanguine suo nos redimere. Hoc erat illi in optatis; & illius Sacratisimis Sanguinis pungebatur aculeo, ut quām citissimè funderetur. Et li-

Consideratio XVI.

132

licet, quod parvulus fuerit fons iste Divini Cruoris, crevit tamen in immensum, dum in cruce ex toto corpore promanabant sanguinum flumina: *Parvus fons, qui crevit in fluvium.* O mitis Agnello, jam nunc candide & rubicunde, verè sanguinum Sponsus tu mihi es.

Ecclesiastes 10.6. Ecquis, obsecro, o pientissima Virgo! erat tunc animi tui sensus, dum manantibus interim oculis, ac multis profusis lacrymis hanc primam cruentam lanienam spectasti? Et nunquid eodem istu, quo saxeus ille culter Divinam Filioli carnem sauciabat, interim quoque SS. Cor tuum acutissimo doloris gladio, antequam Simeon S. Bonaventura in illum praediceret, dissectum est? Hodie, sunt verba Doctoris Seraphim Medit. vita phici, incepit Dominus JESUS suum Sacratissimum Sanguinem pro nobis Christi c. 8. effundere, & hodie fortiter ploravit; sed eo plorante, credisne, quod Mater potuerit lacrymas tenere? Ploravit ergo & illa, &c. En hic duplarem fontem & sanguinis & aquae. O quam durum, quam saxeum est adhuc cor nostrum; Rupes illa in cades à Moysè bis vit. Psalm. 77. 20. gā percussa lacrymas aquas profudit: *Percussit petram, & fluxerunt aquæ;* nos undique & ubique malis premimur, & incessanter percutimur, & stamus adhuc immobiles? Numera lacrymas tuas anime mi! quas pro peccatis tuis contra DEUM, summum illud Bonum commissis, fudisti, an aliquas invenies?

Fab. Ambr. 3. Observant autem Doctores & SS. Litterarum periti, quod Spin. sup. vi. B. Virgo Sacrosanctum Cruorem in circumcisione dilectissimi Filii tam & gesta sui effusum in purissimo vasculo diligentissime collegerit, & cum Christi. Hebr. 9. 22. præputio ingenti curâ asservarit, sciebat enim, quod sine sanguinis effusione non fieret remissio. Ecquis, obsecro, melius immensum hujus Divini Cruoris premium poterat aestimare, quam talis ac tanta Mater? Ex quibus licet pauculis stillis prudentissime colligebat, quod forent præludium & aurora futuræ cruentæ passionis, post aliquot annorum Iusta explendæ, & quod longè clementius ille Sanguis in cœlum clamaret, quam quondam Abellis; unde sanctus Gregorius M. Sanguis JESU melius loquitur, quam sanguis Abel, quia lib. 13. Mortem fratris fraticide petit, Sanguis antem JESU vitalis. 9. &c. O peccatores quid agitis? Nunquid frustra ille Sanguis pro nobis effusus est? Si non fuit remissio nisi in Sanguine JESU, cur non remissionem peccatorum vestrorum per hunc Divinissimum Exodus. 12. 7. Sanguinem à DEO Patre postulatis? Sanguis olim Agni Legalis in postibus & superliminaribus tinctus Hebræorum ædes à cæde primogenitorum servabat immunes; quid non poterit facere pretiosissimus

Assimus Divini illius Agnelli Sanguis, quem jam à vitæ suæ primordio pro salute vestra profudit, cuius unica stilla plus, quam universorum Electorum merita, valoris haber, quia cum VERBO hypostaticè unitus fuit? Audite pro animæ vestræ solatio S. Gregorium Nazianzenum: *Exigne, inquit, gutta Sanguinis Christi* Orat. 2. de Pasch.

4. Hic adimpletum fuit, quod olim Elias in nubecula illa parvula prævidit: *Ecce nubecula parva quasi vestigium hominis ascen-* 2. Reg. 18. 44.
debat de mari. Nubecula illa parva humanitas à Verbo assumpta est; quæ licet in circumcisione pauculas dumtaxat guttas præmisit, in passione tamen, ac præsertim in Calvariæ monte in grandem ac sanguineam pluviam effusa fuit: *Et facta est pluvia gran-*
dis; ut ed copiosior esset redemptio, & ut lavaret nos à peccatis no- Apo. 1. 5.
stris in Sanguine suo. Quæ omnia prudentissima Virgo superiore lumine illustrata diligentissimè secum ponderabat juxta illud: *MA.* Luc. 2. 19.
RIA autem conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo. Proinde rectè S. Hieronymus: *Punctura acis,* inquit, *Christo inficta,* S. Hier. cit. à Quaresm.
vulnus lanceæ erat in Corde MARIAE. Pro sensu morali juvat hic audire R. P. Hieremiam Drexelium è Societate JESU Scriptorem præclarissimum, juxta ac pientissimum: *Imitemur, ait de Christo Drex de*
nascente, Deiparam sedulò, omnia Domini JESU verba, resque il. ChristoNasc.
lius gestas penitissimo pectori conservemus; præsepe, flagra, columnam, apud me. f.
spinas, clavos, lanceam, crucem, spongiam, sepulchrum, simul & la-
bores, cruciatus, probra, ignominias, Indibria, mortem, cum immen-
sa majestate, gloria, dignitate conferamus. Et quæso simul etiam amorem illius ardentissimum cum nostri amoris hyeme, submissionem illius cum nostra superbia, temperantiam illius cum gula nostra, castimoniam illius cum luxuria nostra, ipsius mansuetudinem cum nostra irasundia ad trutinam justam appendamus, & quasi arena maris ista gravior apparebit.

5. Neque dubium est, quin Christus Infans tunc in dolorosa carnis suæ circumcisione, & prima Sanguinis effusione votum illud ab æterno emissum patiendi in tempore pro gloria DEI & totius mundi salute, denuo non sine lacrymis renovaverit, atque in holocaustum & Sacrificium se Patri prompta voluntate & affectu obtulerit, ad hoc enim alludit Gentium Doctor Paulus: *Ideo ingre-* Hebr. 10. 5.
diens mundum dicit: Hostiam & oblationem noluiisti; corpus autem
aptasti mihi. Holocaustata & pro peccato non tibi placherunt; tunc

dixi: Ecce venio, offerens tibi ô Pater ! pro primitijs passionis meæ modicas has Sanguinis stillas, sed & totum Corpus meum flagellis, spinis, alapis, plagis, cruci, clavis, lanceæ, morti, &c. DEUS verò Pater, apud quem merces mercenarij non usque manè manere solet, sed mox eam persolvit, ita Propheta attestante:

Isa. 40. 10. Ecce merces ejus cum eo, & opus ejus coram illo ; continuò dilectissimo Filio suo mercedem dedit ; & qualem dices ? Audi Aposto-

Philip. 2. 9. lum : Donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine JESU omne genu flectatur cœlestium, terrestrium & infernorum, &c. Quod Sacrosanctum Nomen B. Virgo MARIA, verè & hic Mater amoris & doloris peractâ cruentâ circumcisione, genu flexo maxima cum devotione primò inter homines pronuntiavit, & ex Angeli jussu Filio imposuit : Ecce concipies in utero, & paries Filium, & vocabis nomen ejus JESUM, &c.

6. O quām insignes doctrinas hīc possumus in nostræ animæ commodum feligere. Circumcisus est ut renellus Infans, & jam

Psal. 18. 6. tunc exultavit ut Gigas ad currēdam viam suam, ut assūsceres anima Christiana, à teneris quoque annis D E O inservire, & viam

Toren. 3. 27. virtutis sectari : Bonum est viro, si portaverit jugum ab adolescentia sua, &c.

Circumcisus est, ut amorem suum in te ô anima, velut olim Gen. 34. 19. Sichem Princeps in Dinam, testaretur : Nec distulit adolescens, qui statim, quod petebatur, expleret : amabat enim puellam valde, &c. Ut tu vicissim anima mea charitatem tuam D E O ac Christo etiam

in rebus arduis & difficilibus comprobares ; solet enim D E U S etiam dilectissimis suis amicis, imò magis, quām reprobis plura adversa immittere, quibus circumcidantur.

Circumcisus est, ut tu mentem tuam à pravis cogitationibus, cor à pravis affectibus, os & linguam à pravis locutionibus, aures à detractionibus & sensus omnes tuos ab illicitis circumcideres.

Circumcisus est, ut pro peccatis tuis, contra puritatem admissis,

primo hoc Sanguinis sui rore satisfaceret, ut tu disceres ejusmodi carnis illecebras & sensuales amores, quibus mundus hic immun-

z. Jo. 3. 19. dus totus, quantus immersus est, ex animo detestari, fugere, luere.

Circumcisus est, neque peccatoris characterem in se suscipere de-

tractavit ille Sanctus Sanctorum, ut disceres te humiliare terra & cinis, urypte qui haec tenus tot infernos pro tuis delictis commeritus

es,

es, & tamen bilem tibi mover, si ab alijs peccator haberis, ah miser! gloriaris de iniquitatibus, & erubescis de remedijis?

Circumcisus est denique, ut tibi ostenderet, quām necessaria sit earnis tuæ mortificatio. En D E U S tuus & Homo Christus vix ostendit in mundo exegit, & jam summo ardet desiderio pro te patiendi, & Sanguinem fundendi, quid tu post tot transactos vitæ tuæ annos pro J E S U laboris & difficultatis tolerāsti? Si regnum Matt. 11. 12. cœlorum vim patitur, & violenti rapinunt illud, ubi est tua violentia? Tua mortificatio? An nescis, quid Apostolus in utramque tibi auctem inclamet: Si secundūm carnem vixeritis, moriemini? Et in alio Rom. 8. 13. loco: Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & con- Gal. 5. 25. cupiscentijs? Collige ex his, an Christi sis, vel alterius?

7. *Et vocatum est nomen ejus J E S U S. O dulce nomen, Luc. 2. 21. quia non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oportet nos Act. 4. 12. salvos fieri, sed & nomen amarum, quia non nisi spargendo sanguinem illud sibi comparavit D E U S & Homo Christus, quod Sacratissimum quidē Nomen dulcissimum Cor Virgineæ Matri misericordia in modum consolabatur, sed & peculiari quodam modo affligebat, quoties illud animo volvebat, non ignorans, amantissimum Filium tuum & re & nomine esse J E S U M, hoc est, orbis Salvatorem, qui per passionem suam crucem & mortem salvum factus esset populum tuum à peccatis eorum, proinde statim in primo vitæ suæ exordio hoc Divinissimum Nomen in arrham & pignus redēptionis nostræ voluit publicari, ac tandem in virili ætate in crucis titulo ut causam mortis affigi: JESUS NAZARENUS REX Joan. 19. 19. IUDÆORUM.*

Quæres, cur Angeli Apostatici momento è cœlo fuerint eliminati, & ad inferni barathrum sine ulla spe obtinendæ veniæ detulsi: *Videbam satanam sicut fulgor de cœlo cadentem? & S. Bernhardinus, quia hoc Sacratissimum Nomen JESU noluerunt agnoscere, illudque debito officere honore, quando illis tunc adhuc viatoribus intimatum fuit: Et adorent eum omnes, Angeli ejus, &c.*

Quid ex Saulo Paulum, ex vase perditionis vas electionis, & ex lupo agnum fecit, nonne hoc unicum SS. Nomen JESUS: Ego sum JESUS, quem tu persequeris?

Quid mendicum illum claudum ad portam templi sedentem momento sanavit? Nunquid hoc Sacratissimum Nomen J E S U S
à Petro

136 Consideratio XVI. De circumcisione Christi & Matris compassione.

Aitor. 3. 6. à Petro loco cleēmosynæ illi donatum: Petrus autem dixit: argen-
tum & aurum non est mihi, quod autem habeo, hoc tibi do: In No-
mine IESU Christi Nazareni surge, & ambula.

Quid Jacobum in tot ac tantis constitutum miseris conforta-
vit, solidavitque, ut læto animo omnia adversa sustineret? Audi
ipsum loquenter: Sit Nomen Domini benedictum, &c.

Job. 2. 22. *2. Reg. 17. 43.* Quid Davidi contra Goliathum victoriam comparavit? Tu ve-
nis, inquit, ad me cum gladio & hasta, & clypeo, ego autem venio
ad te in Nominis Domini, &c.

Quid Apostolos, Martyres & Electos omnes inter tot pericula
Aitor. 3. 4r. constitutos conservavit? Et illi quidem ibant gaudentes à conspectu con-
siliij, quoniam digni habiti sunt pro Nominis I E S U contumeliam pati.

O dulce Nomen! célo venerabile, dulce miseris & inferno ter-
Joel. 2. 32. ribile. O peccatores respirate: Omnis, qui invoca-
caverit Nomen Domini, salvus
erit.



CON